



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Solvuntur objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

vis conficeret Sacramentum, ob rationem à nobis assignatam.

69. Fit 4. tunc dari substantialem materiam mutationem, quando tanta est, ut juxta communem acceptionem, & existimationem hominum distinguatur morali specie ab ea, quam Christus requisivit, ideoque diverso nomine appellatur; tunc verò reputari accidentalem, quando non datur talis distinctio, sive una materia distinguatur specie physica ab alia, sive non: identitas enim, aut diversitas substantialis non tam attenditur juxta speciem, aut diversitatem physicam, quam moralem. Hinc licet vinum unius Regionis fortasse distinguatur specie physica ab alio, vel album à rubro, non tamen distinguitur specie morali à Christo instituta, ideoque substantialiter comprehenduntur sub institutione Christi Domini; e contra autem licet panis fortasse non differat specie physica à massa farinae adhuc cruda, differt tamen specie morali, sive substantiali in ordine ad consecrationem, ac proinde nequit validè consecrari.

70. Fit 5. mutationem formæ tunc existimandam substantialem, quando mutatur ejus sensus, sive quando verba non retinent eundem sensum, quem verba à Christo instituta, tunc autem existimandam mutationem accidentalem, quando idem sensus remanet. Ratio est, quia verba in Sacramentis non operantur secundum sonum syllabarum, & verborum, sed secundum sensum. Hinc rectè Cardinalis de Lugo, & Bernal, mutationem in Sacramentis essentialem tunc contingere dicunt, quando mutatur aliquid à Christo determinatum; accidentalem verò, quando mutatur aliquid non à Christo, sed ab Ecclesia determinatum. Ratio est, quia Christus determinavit, solusque determinare potuit Sacramentorum substantiam; Ecclesia verò, licet non possit Sacramentorum essentias alterare, ut constat ex num. 59, potest plura præcipere circa eorum ritum, & consecrationem. Unde mutatio contra institutionem Christi erit substantialis, contra determinationem Ecclesiæ accidentalis, ac proinde quandoque Sacerdos poterit conficere Sacramentum validè, sed illicitè.

70. Fit 6. mutationem verborum cum animo introducendi errorem, videlicet nolendo significare, neque facere, quod significat, & facit Ecclesia, esse mutationem substantialem; mutationem verò verborum ex ignorantia Linguae Latinae, aut balbutie, qua ita proferuntur verba, ut significationem, quam apud homines habent, & à Christo instituta, apud audientes retineant, esse accidentalem. Qua de causa Zacharias Papa cap. *retulerunt* de consecrat. dist. 4. consultus, an valeret Baptismus collatus sub hac forma: *in nomine patris, & filii, & Spiritus Sancti*. Respondit valere, si Minister eam formam usus fuit ob ignorantiam Romanæ locutionis, non introducens errorem, aut hæresim.

Ratio autem Theologica ex dictis est, quia si proferrentur à perito Linguae Latinae, significarent personas Trinitatis tanquam femininas, quod intendere, esset velle hæresim introducere, ac proinde specie morali distinguerentur ea verba à verbis à Christo institutis; si verò cum recta intentione ab ignaro Linguae Latinae, aut balbutiente proferantur, significant procul dubio Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ac proinde non distinguuntur specie morali à verbis à Christo institutis, ex quibus bene suspensus quàm plurimi decidi possunt casus particulares. Videatur Elparza quest. 6.

Fit 7. in consecratione Sacramentorum esse peccatum lethale, uti materiæ, & formæ probabilibus, quando adsunt cetera; qui enim in re adeo gravi turò operari potest, & nihilominus se exponit periculo frustrandi Sacramentum, irrationabiliter operatur, ac proinde à hoc præciudicando ab omni lege positiva, mortaliter peccat, nec opus est in his ulterius immorari, quando quidem ab Innocentio XI. damnata fuit ista propositio: *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta injuria, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravi damni incurrendi*; quando autem non datur materia certa in casu necessitatis, sed solum probabilis, & probabilior, judicio, Parochum ex contractu, & reliquos ex charitate teneri adhibere utramque, apponendo, v. g. primò probabiliorem, & quia fortasse illa non est tanta, apponendo postea sub conditione minus probabilem, quæ forsitan erit vera, & propria materia.

SECTION IV.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam assertionem: Baptismus tempore Apostolorum validè ministrabatur nomine solius JESU Christi; sed nunc non potest validè ministrari, nisi sub nomine totius Trinitatis: ergo forma Baptismi substantialiter mutata est ab ea, quam instituit Christus Dominus. Probatum maj. ex Act. 2. ubi dicitur: *baptizavit in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum*; & cap. 8. *nomine JESU Christi baptizabantur viri, ac mulieres*; ergo &c. Confirmatur. Nicolaus Papa cap. *à quodam* de deo, de consecrat. dist. 4. declarat, fuisse validum Baptismum datum in nomine Trinitatis vel in nomine Christi, reddiditque hæreticis nem lib. de Spiritu Sancto, cap. 3. *qui benedicitur in Christo, in Patre, & Spiritu Sancto benedicuntur, quia unum est nomen, una potestas*; & iterum infra: *qui Christum nominat, & dicit Filium, qui unctus est, & Patrem, à quo unctus est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est* quem sensum approbat ex doctrina S. Ambro-

ff Beda in cap. 10. Actor. S. Bernard. Epist. 340. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. part. 6. cap. 2. Magister in 4. dist. 3. Adrianus quæst. 2. de Baptismo, & alii; ergo &c.

74. Responder 1. Divus Thomas 3. part. quæst. 66. artic. 6. ad 1. & cum ipso plures Thomistæ concessis præmissis negando consequentiam; quia illa forma Baptismi comprehendebatur institutione Christi Domini concessa Apostolis in primitiva Ecclesia ad baptizandum in nomine Christi, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis, & Gentibus, honorabile redderetur, per quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo; & ex hac doctrina explicat Divus Thomas mentem Ambrosii non aliam fuisse, nisi significare convenientiam, ut ita factum fuerit tempore Apostolorum, eandemque fuisse Nicolai Papæ mentem; imò Nicolaus solum definit, Baptismum datum à Judo retinente professionem Judaicam, fuisse validum, de quo solum consultus fuerat ab Ungaris: deinde superaddit ut privatus Doctor ex auctoritate Ambrosii, qua utitur, valere Baptismum datum in nomine Christi; ad hunc enim modum sunt plura in decretis Conciliorum, & Pontificum definitum id tantum, de quo præcipue, ac directè quærebatur, non verò alia, de quibus obiter incidit sermo. Sic in septima Synodo generali approbata fuit conclusio, quæ dicebat, Angelos depingi posse, non verò, quæ pro illa conclusione afferebatur ratio, ut tradunt Doctores in Tractatu de Angelis.

75. Quidquid autem fuerit de illo tempore primitivo, verum est, modò non valere Baptismum, nisi sub expressione trium personarum, ut constat ex Zacharia Papa Cap. in Synodo de consecrat. dist. 4. si lotus in fonte Baptismatis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus; tum etiam ex Pelagio Papa Cap. si reverè & Cap. multi sunt, eadem dist. definiente, Baptismum datum in nomine Christi, vel in nomine Domini tantum, nullum esse. Cæterum mihi probabilior appareret responsio aliorum Doctorum, quos sequitur Elparza lib. 10. de Baptis. quæst. 40. Cum quibus

76. Respondeo nego maj. ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia in illis testimoniis non negatur, adhibitam esse expressionem trium personarum, sed dicitur, baptizari homines in nomine Christi, ut denotetur, baptizari non quidem Baptismo Joannis, sed Baptismo instituto à Christo, cui aggregabantur tanquam capiti, & à quo eam potestatem Apostoli acceperant. Baptismus autem pro Apostolis, & pro omnibus à Christo institutus fuit sub expressione Trinitatis, ut constat ex verbis Christi ad Apostolos Matth. 28. euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quapropter baptizari nomine Christi, idem erat

ac baptizari Baptismo à Christo instituto. Ad Confirmationem respondeo, Pontificiam illam definitionem non fuisse contra explicationem nostram ex dictis num. 74. reliqua autem testimonia ad exemplum Divi Thomæ benignè interpretanda sunt.

Veritas autem doctrinæ nostræ constat ex ipso Actor. lib. cap. 19. ubi Paulus inveniens aliquos, qui dicebant, se esse baptizatos, aut Discipulos, interrogavit eos, si Spiritum Sanctum accepisset, respondentibus illis, sed nequa si Spiritus Sanctus est, audivimus, interrogavit iterum Paulus, in quo ergo baptizati estis: quæ verba apertè significant, non potuisse eos ritè baptizari absque expressione Spiritus Sancti: responderunt, in Joannis Baptismate; & post aliqua addit textus: his auditis baptizati sunt in nomine Domini JESU. Unde baptizari in nomine JESU idem erat, ac baptizari Baptismo à Christo JESU instituto; aliter non bene inferretur à Paulo expressio Spiritus Sancti ratione Baptismi.

Objicies 2. Materia, & forma Sacramenti Ordinis non est eadem in Ecclesia Latina, & in Ecclesia Græca; ergo Christus non determinavit quoad substantiam materiam, & formam omnium Sacramentorum. Probat antec. Episcopi Latini ordinant Presbyteros tradendo patenam cum Hostia, & Calicem cum vino cum hac verborum forma: accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia &c. Episcopi verò Græci ordinant Presbyteros sola manuum impositione absque traditione patenæ, & Calicis cum hac verborum forma: gratias, que semper infirmos sanat &c. ergo &c. Retorqueo argumentum: aliqui ad consecrandum adhibent vinum album, alii rubrum, alteri ad Sacramentum Pœnitentiæ adhibent attritionem, alteri contritionem; ergo Christus Dominus non determinavit quoad substantiam materiam horum Sacramentorum.

79. Respondeo deinde dist. antec. non est eadem materialiter, conc. formaliter, nego antec. & consequentiam. Ad probationem conc. antec. & nego consequentiam; quia identitas formalis stat in eo, quòd quævis ex his materiis, & formis comprehendatur sub significatione institutionis Christi Domini, ac proinde quòd determinata sit quoad substantiam à Christo Domino, licet sint in se materialiter diversæ, ut patet in exemplis retorsionis; determinatio autem purè materialis in materia, & forma Sacramenti Ordinis relicta est Ecclesiæ, quæ illam pro Græcis solis, & istam constituit pro solis Latinis. Unde Latini non possunt illud conficere Sacramentum ritu Græco, neque Græci ritu Latino, cum non possint illud conficere absque signo sensibili à Christo instituto, & ab Ecclesia pro illis determinato.

Objicies 3. Sacramentum Confirmationis tempore Apostolorum ministrabatur per solam manuum impositionem, ut constat ex Act. Apostolorum cap. 8. & 19. & Patribus ea testi-

monia in hunc sensum explicantibus, sed modò adhibetur Chrisma, id est mixrum ex oleo, & balsamo, ut testatur Eugenius IV. in Decreto Unionis dicens: *locò impositionis manuum Apostolorum dari nunc in Ecclesia Confirmationem, id est, unctiorem Chrifti*; ergo mutata est materia hujus Sacramenti. Resp. concessis præmissis, nego consequentiam; quia in præfenti mutari materiam absolutè dictum, significat, dari materiam modò, quæ à Christo non fuit instituta, quod falsissimum est; Christus enim ad tempus dedit Apostolis potestatem, ut vel Chriftate, vel manuum impositione pro temporis opportunitate uterentur, donec Ecclesia bene esset per Orbem fundata, quod clarè constat ex eo, quòd Apostoli quandoque utebantur Chriftate, ut testantur Dionysius, aliiq̃ Patres apud Suarezium disput. 33. sect. 1. & Bellarmin. cap. 9. de Confirmatione; quandoque verò manuum impositione, ut constat ex testimoniis allatis; cum autem utramque materiam ex illis instituerit Christus pro eo tempore, non distinguebantur specie morali, sed duntaxat purè materiali.

31. *Objic. 4.* Ante Tridentinum solus consensus contrahentium erat materia valida Sacramenti matrimonii sine præfentia Parochi, & testium; sed post Tridentinum non est materia valida sine præfentia Parochi, & testium; ergo Tridentinum mutavit materiam distinctam ab ea, quam Christus determinavit. Respondeo, concessis præmissis nego consequentiam; quia Christus instituit pro materia hujus Sacramenti contractum humanum validum; hæc enim institutio semper est eadem, neque enim Ecclesia potest scire, quòd contractus humanus validus non sit materia hujus Sacramenti; cum quotamen bene stat, quòd Ecclesia possit requirere has, vel illas condiciones, ut contractus sit validus, sicuti sit in aliis contractibus; consensus ergo mutans ante Tridentinum erat validus contractus absque præfentia Parochi, & testium; nunc autem absque eorum præfentia non est validus. Unde si absque præfentia Parochi, & testium contrahatur matrimonium, contractus est nullus, ac proinde nullum Sacramentum. Sic, qui vinum mutat in acrum, efficit, quòd non possit consecrari, quod antea poterat consecrari, non quidem mutandò materiam Sacramenti, aut mutandò unum pro alio, sed destruendò ibi materiam Sacramenti. Cæterum hæc omnia argumenta, si bene perpendantur, potius confirmant secundam nostram assertionem, quam primam impugnent.

32. *Objic. 5.* contra secundam assertionem: si non determinasset Christus omnia Sacramenta æquali restrictione, sed solum quoad substantiam, mutatio materiæ secundum accidens non officeret valori Sacramenti: sed mutatio secundum accidens officit valori Sacramenti; ergo &c. Probatum min. Aqua congelata solum differt secundum accidens ab aqua naturali liquida; sed aqua congelata non est sufficiens

ad valorem Baptismi; ergo &c. Confirmatur 1. Valor Sacramenti pender ab institutione Christi promittentis gratiam conferendam à Sacramento, si apponatur ista materia, & ista forma: atqui promittens liberatur à promissione, si non ponatur vel minima pars conditionis, sub qua facta fuit promissio; ergo si non ponatur vel minima, sive accidentalis pars materiæ, & formæ, non ponetur valor Sacramenti. Confirmatur 2. Nulla potest esse mutatio minor in forma Sacramentorum, quam mutatio unius literæ; sed mutatio unius literæ officit valori Sacramenti, ut patet in forma Baptismi, si locò *Patris* ponatur *Mavis*, & in forma absolutionis, si pro *te* dicatur *me*; ergo &c.

Respondeo ex dictis à num. 68. dist. maj. secundum accidens in existimatione morali, conc. in esse purè physico, nego maj. & distincta min. nego consequentiam; nam aqua naturalis est solum differt secundum accidens purè physicum, transeat; secundum accidens in existimatione morali, nego maj. & concessa min. nego consequentiam; nam aqua naturalis est materia remota Baptismi, prout est apta ad abluitionem, quæ quidem ablutio est materia proxima, & nemo prudentum dubitare potest, valde distingui in ordine ad abluitionem aquam quidam à congelata.

Ad primam Confirmationem conc. maj. & dist. min. si illa minima conditio pertinet ad substantiam rei, quarens intentæ à promittente, conc. si non pertinet ad substantiam rei, nego min. & consequentiam; cum autem possit manere tota substantia materiæ, & formæ prout institutæ sunt à Christo Domino, eæ deficiant aliqua accidentia, ut constat ex num. 70. ex definitione Zachariæ Pape, exinde consistunt Sacramenta, etsi accidentia illa delant. Ad secundam Confirmationem dist. maj. nulla potest esse mutatio minor, sumpta mutatione syllabæ purè physice, conc. in existimatione morali, nego maj. & dist. min. nego consequentiam; quia illæ mutationes ab Adversariis allatæ, & ab una littera provenientes valde diversæ sunt in existimatione morali, cum in uno sensu significetur Pater, in altero mater, in alio Minister, in altero penitens, quæ item significationes valde diversæ sunt in existimatione Prudentum.

Objic. 6. contra tertiam assertionem: Diabolus præfcribit magis certa verba, quibus *Incantationes* perficiunt; ergo mysteria divina non debent certis ritibus, & verbis perfici. Respondeo conc. antec. & nego consequentiam; quia Diabolus ea præfcribit, ut homines accipiant, sibiq̃ submitant, & à DEO avertant, quod perverissimum est; Christus autem ea præfcribit, ut homines ad DEUM accipiant, quod Sanctum est; unde argumentum istud potius ostendit cæcitatem Hæreticorum sic arguentium, quàm vel minimam difficultatem veram.

86. Objicies 7. Matthæi ultimo dixit Christus Apostolis: *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. &c. docentes eos servare omnia, quecumque mandavi vobis;* atqui in iisdem verbis excipit Christus doctrinam, & instructionem; ergo verba Baptismi sunt doctrinalia, & concionatoria. Respondeo dist. min. excipit Christus doctrinam, & instructionem per verba, quæ sunt forma Baptismi, nego, per alia, sive antecedentia, sive subsequenta Baptismum, conc. min. & nego consequentiam. Ratio est, quia, cum adulti, qui accedunt ad Baptismum, debeant catechizari, & parvuli post Baptismum, quando capaces fuerint, debeant instrui rebus Fidei; & præceptis divinis, id ita faciendum permonet Christus; at quod id fiat per verba Baptismi, nullatenus docet, imò contrarium, ut ex ipsis verbis manifestè patet, cum non præcipiat, Apostolos docere verba, sed docere mandata, nullumque sit mandatum, ut homines discant verba Baptismi, & multò minus, quòd ea discant, dum baptizantur.

87. Objicies 8. Hieronymus exponens illa verba ad Ephesios 5. *mundans eam lavacro aque in verbo vite,* per verbum *vite* intelligit verbum doctrinæ, seu concionis; ergo verba formæ Baptismi sunt concionatoria. Confirmatur ex Augustino Tractatu 80. in Joannem, ubi explicans verba illa Christi: *jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis,* ait: *unde ista tanta virtus aque: ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur; nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, & aliud virtus manens, hoc est, verbum Fidei, quod predicamus:* ergo tota virtus verborum Baptismi stat in eo, quòd excitent ad Fidem, & credantur, ac proinde continent sensum concionatorum, & consecratorum.

88. Respondeo dist. antec. intelligit in sensu tropologico, conc. in sensu literali, nego antec. & consequentiam; nam locus illa in sensu literali intelligitur de forma Baptismi per verba consecratoria, ut exponunt Patres, quorum longum sensum afferunt Bellarminus, & Vasquez; in sensu autem tropologico accomodatur ad mores; quo in sensu Hieronymus ibidem ait, se ipsum loqui, sicque applicat singulis hominibus, quorum animas vocat viros, & corpora uxores, & respiciens ad illa verba Apostoli: *viri diligite uxores vestras,* uniuscujusque animam hortabatur, ut corpus suum diligeret, & verbo doctrinæ à peccatis emunderet. Ad Confirmationem nego consequentiam; quia Augustinus per illa verba non significat, verbum operari, quia creditur à luscipiente Sacramentum, sed quia ut à Fide creditur, elevatur verbum consecratorie operans, ait enim in ipso textu, *in aqua verbum mundat, detrahatur verbum, & quid aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ex dictis

Fit 1. Sacramentum esse concretum accidentale constitutum ex materia, & forma, unde adjectivè, materialiter, & specificativè sumptum, ut communiter accipiuntur concreta accidentalia, dicit materiam in recto, & formam in obliquo. Ratio est, quia concreta accidentalia ita sumpta id dicunt in recto, per quod multiplicantur; sed multiplicantur ad multiplicationem materiæ; ergo &c. Unde torerunt Sacramenta specie distincta, quot materiæ specie distinctæ. Ex dictis autem à num. 42. constat, formam Sacramenti adæquatè talis in esse Sacramenti esse Christi Domini institutionem; materiam verò esse aggregatum ex rebus, & verbis; quapropter cum istiusmodi aggregata, utpote habentia septem formas consecratorias specie distinctas, sint septem specie distincta, exinde clarè deducitur, esse septem Sacramenta. Corroboratur illatio nostra exemplis clarissimis: si plures albedines essent in uno subjecto, diceretur unum album, & si una albedo esset in pluribus, dicerentur plura alba. Pariter: si plures artes essent in eodem homine, diceretur unus artifex; si autem eadem ars esset in pluribus hominibus, dicerentur plures artifices; sed non ob aliam causam, nisi ob rationem à nobis assignatam; ergo &c.

Si autem concreta accidentalia non sumantur in hac communi acceptione, sed potius reduplicativè, aut objectivè, aliter discurrendum esset; nam reduplicativè, attendenda esset natura reduplicacionis, quæ à libito reduplicantium quandoque dependet; sic album ut album significare solet albedinem; e contra in istis locutionibus: objectum ut cognitum terminat cognitionem, bonum ut cognitum terminat amorem, non solent reduplicare supra formam, sed supra materiam, nam per illum modum loquendi non solet significari cognitionem cognosci, aut cognitionem amari, sed cognosci objectum prout representatum per cognitionem, & bonitatem amari prout à cognitione representatam, tunc, si sumantur objectivè, significare solent utrumque in recto: sic dicitur *album est concretum, album est aggregatum:* quæ de causa, si aliquæ ex his locutionibus sint obsecuræ, distinguendæ sunt, ut innoscat sensus, in quo concedantur, vel negentur, & quæstiones de puro nomine, quæ inutiles, & perniciosæ sunt, detegantur, & extirpentur.

Fit 2. contra Scotum, & Vasquez: Sacramenta non constitui de rebus rationis; ratio est, quia, ut constat ex Florentino citato num. 4. & Tridentino num. 16. Sacramenta realiter causant gratiam; sed quod constituitur per ens rationis, nequit realiter causare gratiam; ergo &c. Confirmatur. Sacramentum, etsi possit sumi duplex ex num. 42. nimirum vel in prima compositione dicente res tanquam materiam, & verba tanquam formam, vel in secunda compositione dicente aggregatum ex rebus, & verbis tanquam materia, & institutionem Christi Domini tanquam formam, non includit quidquam